

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA;

QUAM,

AVERTENTE SUMMO DEUMINO,

RE VENERABILIBUS PATRIBUS AC

D. GEORGII BAIRD, S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRÆFICIT

DISPUTATIO MEDICA

AVERTENTE SENATU ACADEMICO EDINBURGENSI

NOBILISSIMO D. GEORGIO BAIRD, S. T. P.

INAUGURALIS,

PRO STATU DECRETIS,

QUÆDAM DE

OPHTHALMIA ET DE QUORUNDAM IN MEDICINA RUTHENICA AD PRAXIM

OPHTHALMIA

AVERTENTE SENATU ACADEMICO EDINBURGENSI

COMPLECTENS.

AVERTENTE SENATU ACADEMICO EDINBURGENSI

NOBILISSIMO D. GEORGIO BAIRD, S. T. P.

AVERTENTE SENATU ACADEMICO EDINBURGENSI

NOBILISSIMO D. GEORGIO BAIRD, S. T. P.

AVERTENTE SENATU ACADEMICO EDINBURGENSI

CALENDIS AUGUSTI, ERA ISTORICE SOLITIA

AVERTENTE SENATU ACADEMICO EDINBURGENSI

EDINBURGI:

EDINBURGH: P. HALL

MDCCLXXV

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES BUTTER,

ANGLUS,

COLLEGII REGII CHIRURGORUM LOND.

NECNON

SOCIETATUM LINNÆANÆ ET WERNERIANÆ

SOCIUS.

CALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL,

MDCCCXX.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA;

QUAM

ANNUNTIAT SUMMO NUMERO

EX AUCTORITATE REVERENDI ACADEMICI SENATUS

D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.

ACADEMIAE EDINBURGENSIS PRAESENTAT

NEOM

ARTIBUS SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE PRAESENTIO;

Pro Gradui Doctoris,

SUMMISSIOE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITUM ET ANTIQVAM CONSERVANDIS;

PROPOSITOREM EXAMINIS SUPLICIT

JOANNES BUTTNER,

AGGREGUS,

COLLEGIUM MEDICAE EDINBURGENSIS LOND.

REGNUM

SCOTIAE ET HIBERNIAE

AGGREGUS

CALLEM AUGUSTI, HORUM LODGUM SOLIT.

EDINBURGI;

EXCUBENTAT F. KELL.

MDCCLXX.



MAGNÆ AMITÆ SUÆ,
ELIZABETHÆ BUTTER,
APUD URBEM "BATH,"

FÆMINÆ DILECTISSIMÆ ET BENIGNISSIMÆ,
VIRTUTIBUS OMNIGENIS,
QUÆ BONAS AMABILESQUE EXORNANT,
PRÆDITÆ,
JOANNES BUTTER.

S. P. D.

Tibi, Carissima Amita, quantas debeo grates, propter curam vere maternam, qua me fovisti, non possum verbis consequi.

Munificentia animæ tuæ infinita, sollicitudo diuturna indefessaque meo nomine, sensus omnes quorum potior, teneros evocant.

Oratio quidem panegyrica, tibi, ingrata fuisset. Hanc autem occasionem grates meas publicas reddendi, ob tot ac tam magna beneficia in me semper libentissime collata, nunquam obliviscenda, omittere non potui.

Diu valeas et feliciter vivas, læta tuis omnibus intersis, animæque felices tibi Honoratissimæ semper afflent.—Vale.

JOANNI BARONI ROLLE,

VIRO ILLUSTRISSIMO ET NOBILISSIMO,

LEGIONIS AUSTRALIS MILITIÆ,

IN AGRO DANMONIENSI,

DUCI ;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PLURIUM BENEFICIORUM MEMOR,

SUMMA CUM REVERENTIA,

ANIMOQUE GRATISSIMO,

CONSECRARE VULT,

CHIRURGUS

EIDEM LEGIONI,

JOANNES BUTTER.

JOANNI BARONI ROLLE,

VIRO ILLUSTRISSIMO ET NOBILISSIMO,

LEGIONIS AUSTRALIS MILITAE,

IN AGRO DAMONIENSI,

DUCI ;

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS,

PLURIMUM BENEFICIORUM MEMOR,

SUMMA CUM REVERENTIA,

ANIMOQUE GRATISSIMO,

CONSECRARE VULT,

CHIRURGUS

EIDEM LEGIONI,

JOANNES BUTTER.

VIRO EXIMIO,
JOANNI HENRICO SEALE,

ARMIGERO,

APUD "MOUNT BOON, DARTMOUTH,"

NECNON,

LEGIONIS AUSTRALIS DANMONIENSIS,

PRÆFECTO DIGNISSIMO ;

QUEM NON MINUS MENS PERSPICAX ET ERUDITA,

QUAM MORES SUAVES, HOMINI ET AMICO, DECORI

EXORNANT ;

HANC DISPUTATIONEM,

OB PLURIMA BENEFICIA

IN IPSUM COLLATA,

NUNC OFFERT

AUCTOR.

JOANNI ABERNETHY,

ARMIGERO,

S. R. S.

DE REBUS ANATOMICIS ET CHIRURGICIS

PRÆLECTORI,

NOSOCOMII CHRISTI ET SANCTI BARTHOLOMÆI,

CHIRURGO,

SOCIETATUM PLURIMARUM MEDICARUM

HONORARIO SOCIO,

COLLEGII REGALIS BRITANNICI CHIRURGORUM

PROFESSORI,

JOANNES BUTTER

SALUTEM.

Tibi, Præceptori dilecto et amico, summis virtutibus, tam publicis quam privatis, ornato, hasce paginas editurus, occasionem lubentissime arripio, grates reddendi, præ consilio et beneficiis, in arte Apollinari excolenda, multis.

Accipias, quæso, hoc tentamen, parvum sed sincerum, animi beneficiorum haud immemoris.

AMICO ÆSTIMATO,
GULIELMO ELFORD LEACH,

M. D. S. R. S.

SOCIETATUM LINNÆANÆ ET WERNERIANÆ,

PLURIUMQUE ALIARUM

TAM GENTILIUM QUAM PEREGRINARUM,

SODALI ;

MUSEI BRITANNICI

CURATORI ;

VIRO PRÆCLARO,

HAUD MINUS INGENIO RARO,

QUAM BENEVOLENTIA ET INTEGRITATE,

INSIGNI ;

OB PLURIMA SUÆ AMICITIÆ PIGNORA,

HANC DISSERTATIONEM

DEDICAT

AUCTOR.

“ O Loss of Sight, of thee I most complain !
“ Blind among enemies, O worse than chains,
“ Dungeon, or beggary, or decrepid age !
“ Scarce half I seem to live, dead more than half.”

MILTON.

“ HE from thick films shall purge the visual ray,
“ And on the sightless eye-ball pour the day.”

POPE'S Messiah.

Ὀδυνας ὀφθαλμῶν ἀκρητοποσιη, ἢ λαστρὸν, ἢ πυρίη,
ἢ φλεβοτομίη, ἢ φαρμακοποσιη λυει.

HIPPOCR. Aphor. xxxi. sect. 6.

DISPUTATIO MÈDICA 5

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

OPHTHALMIA

COMPLECTENS.

Auctore JOANNE BUTTER.

PRÆFANDA.

RATIONES quæ me inducebant has paginas Historiæ et Curationi Ophthalmiæ dedicare, ex parte nascuntur desiderio proferendi ea quæ experientia didicerim, per octo annos, malis oculi laborantibus succurrere versatus, et ex parte spe colligendi plurimos opinionis et experientiæ alio-

rum fructus, qui hanc divisionem artis medendi nuper in Britannia singulariter coluissent.

Dominus SAUNDERS viam novam medendi morbis oculorum imprimis invenit. Ab eo tempore fructus experientiæ et plurimi et magni momenti fuissent; et quicumque exitus felices comitati Domini SAUNDERS acquisiverunt, eorum promeritum memoriæ ingeniosissimi chirurgi certe debetur, processus investigando et methodos lucide explicando, quibus multi homines ex oculis perdendis perversi sunt, et ex cæcitate visum recipere possint. Intra annos haud plurimos multi chirurgi sese contenderunt scientiæ et solertiæ superiori in arte morbi oculorum medendi: valetudinaria ad morbos oculi curandos in multis urbibus, nempe, in Westmonasterio, in Eblana, Mancunio, Exonia, Salisburia, et Badiza, insituta fuissent.

Hæc nosocomia foci sunt conveniendo oculorum vitia, quæ alias essent sparsa et segregata; figuras in diverso situ collocando, et ex iis conclusiones detrahendo; exinde fructus experientiæ haud exigui fuissent. In nulla regione orbis

terrarum forsitan, Germania non excepta, scientia ophthalmica majore ardore et exitu feliciore quam in Britannia, fota fuit. In hac dissertatione, meas observationes cohibere ad has res quæ utilitati practicæ præcipue serviunt, propono.

DE DEFINITIONE.

OPHTHALMIA (*οφθαλμος*, Oculus) verbum genericum est, quod inflammationem membranarum vel tarsorum oculorum designat. Ea vox "Inflammatio" limite parum distincto finitur, ita ut quæcunque pars organica vasa plura et plus æquo repleta exhibet, inflammata eadem esse dicatur. Quando inflammatio oculum aggreditur, medicum intelligere oportet cui parti inflammatio contingat, et quæ species inflammationis adsit: illuc fabrica oculi cognita, huc experientia et observatio signorum progressus, et causarum multorum morborum, necessaria est.

DE INDICIIS.

ALIQUA pars corporis humani rubore, calore, dolore, et tumore affecta, secundum CULLENUM, in statu inflammationis, esse dicatur*. Ophthalmia ex rubore membranæ conjunctivæ, palpebrarum tumore, lucis intolerantia, calore, pruritu, et orbitæ dolore, plerumque incipit. Sensus quasi arenæ aut pulveris oculo inhærentis, fere adest; signa porro, pro situ et specie inflammationis, haud parum variant. Si membrana conjunctivæ sola inflammatur, id malum apud medicos hodiernos "*Conjunctivitis*" nominatur; at si scleroticæ præcipue insidet, "*Sclerotitis*;" et quum iridem invadit, "*Iritis* †" vel Ophthalmia Iridis ‡.

* CULLEN'S First Lines, vol. i. b. ii. chap. i. sect. i. 235.

† BEER, Lehre von den Augenkrankheiten.

‡ Dr FARRE.—Vide SAUNDERS on the Eye, Pref. p. xx. 2d edit.

Ophthalmia membranarum conjunctivam so- lam aggredi potest, aut ad scleroticam, corneam, iridem, choroideam, retinam, ad capsulas humorum, palpebras, musculos orbitales, et ad glandulam lachrymalem, serpere potest; ne multa, inflammatio oculi, aut interior aut exterior esse potest.

Ophthalmia acuta, vel mitis, vel gravis est.

Ophthalmia acuta mitior, iisdem notis quibus inflammatio aliarum partium denunciatur, quibusdam sane molestissimis adjectis, quæ ex instrumento videndi perturbato nascuntur.

Superficies interior palpebrarum, conjunctivæ, scleroticæ, insigniter rubet; æger calorem in oculis gravissimam, palpebrarum tumorem, molestiam, pruritus, et ardorem, sentit. Ubicunque ardor acutissime sentiatur, ibi vasa sanguinea prominentiora et turgidiora quam reliqua vasorum ejusdem ordinis, esse videntur. Ægrotus sponte sua palpebras semi-clausas tenet, propter rigiditatem et difficultatem qua eosdem invicem dissociat, quod etiam exinde vim lucis moderatur, cui aliàs vix, aut ne vix quidem, subjicere posset, quia dolor, pruritus, ardor, et lachrymatio ingravescerent.

In corpore irritabiliore pulsus arteriarum vespere concitatur, cutis tunc inarescit, rigores leves cum nausea et interdum vomitu ipso superveniunt.

Ophthalmia acuta gravior, eadem serie signorum, qua *Ophthalmia mitior*, in modo vehementiori, incipit. Ardor oculorum intolerabilior est; spasmodica constrictio totius orbis oculi et superciliarum, et maxima intolerantia lucis etiam mitissimæ adest.

Lachrymæ copiosissimæ sunt, acres, et mucosæ, qui palpebras inter se agglutinat; aliis temporibus hoc signum deest, et oculi siccissimi sunt; febris gravis est; dolor totius capitis et cervicis posticæ intolerabilis est; inquietudo et vigiliū est; pupilla plus æquo contrahitur, et membrana conjunctivæ ruberrima esse videtur. Ramuli vasorum sanguineorum contorti plexum formare videntur, qui plexus extra orbem oculi prominet, et inter palpebras se projicere tendit. Aliquantum liquoris in membranæ reticulatæ cavernas, quæ conjunctivam cum hemisphærio oculi anteriori jungit, interdum diffunditur; et conjunctiva super globum oculi elata versus palpebras quasi projicitur, ita ut cornea ipsa oc-

culta aut depressa esse videatur. Hoc vitium, quod vocatur “*Chemosis* *,” summum gradum ophthalmiæ acutæ gravioris constituit. Globus oculi interdum inflammatione interiori plus quam exteriori afficitur.

Iride, membrana choroidæa, retina, aut capsulis inflammatis, dolor acutissimus ad imam orbis partem exinde calvariam et supercilia petiturus refertur.

In hac re zona vasorum rubrorum circumeuntium corneam interdum videbitur, sed inflammatio conjunctivæ ex initio perraro ingens est. Totus oculus aspectum nebulosum cito assumit; mutatur forma pupillæ; turbiditas humoris aquosi, et interdum vasa rubra iride inspersa, videri possint. Margo iridis aspectum corrugatum aut fimbriatum, præcipue in inflammatione iridis syphilitica † ‡, frequentur induit.

Secretio purulenta ex superficie conjunctivæ est sequela speciei peculiaris inflammationis.

* Synonim. *χημωσις*, Actuarius de Method. Med. lib. ii. *Chemosis*, Aëtius, tetr. serm. iii.

† SAUNDERS ON the Eye, edited by FARRE, 1811.

‡ TRAVERS ON Iritis, p. 74. Surg. Essays, Part. i. 3d edit.

Quum hic morbus infantes aggreditur, Ophthalmia infantorum purulenta dicitur; quum adultos, Ophthalmia gonorrhœalis acuta. In ambabus, secretio eodem modo formatur. Color humoris secreti est sub-flavo viridis, tumor conjunctivæ est major quam palpebrarum, urgent ardor ingens, dolor, febris, perturbatio, et lucis intolerantia.

Hypopion incipiens, id est, effusio puris aut lymphæ in cameram oculi anticam, interdum conspici potest, et humor aquosus inde opacus fit*.

Inter initia hujus periculosi vitii, palpebræ mox tumentissimæ fuerunt, eo ut invicem dissociari, multo minus everti, non possint.

Si palpebræ unquam difficultate everti possint, conjunctiva in fungum villosum converti invenietur, simillimum intestino recto, quandocunque illud in infantibus ex vagiendo detensum et eversum est.

In paroxysmis vagiendi palpebræ interdum invicem dispicientur, non nisi arte reducendæ.

Simul atque inflammatio finita est, quæ haud diu perstat, maxima quantitas mucii purulenti ex

* Vide WARDROP on the Morbid Anatomy of the Eye.

oculis assidue emittitur, qui mucus ex glandulis Meibomii ex parte secernitur, at major pars e granulis villosis et fungis, in quos membrana interior palpebrarum et conjunctivæ convertitur. Febris ab initio acutissima; vagitus infantis, perturbatio et tremores totius corporis, perpetuæ sunt; et cum iis signis, vomitus vel dejectio materiæ corruptæ et flavæ, sæpe sociatur.

Post stadium ophthalmiæ acutum, partes oculi in illa conditione relinquuntur, de qua illæ non sine artis auxilio ad sanitatem redeunt; et hoc stadium ex omnibus fere scriptoribus *Chronicum* vel *vetustum* vocatur. RICHTER ita inquit: “ Quo major fuit inflammationis vehementia, eo major plerumque sequitur partium affectarum atonia*.” SCARPA etiam huic sententiæ assentitur, et observat: “ De maxima necessitate distinguendi prima facie haud solam speciem et etiam stadium inflammationis, ego sæpissime ab experientia propria, et etiam ab ea aliorum, persuasus fuissem †.”

* RICHTER, Fascicul. i. p. 109.

† SCARPA, translated by Briggs, 5th edit. 1817.

DE OPHTHALMIÆ TERMINATIONIBUS.

FINES Ophthalmiæ valde varii sunt.

In oculis fines omnes fere inflammationis videri possint. Tabula sequens multos eventus hujus morbi illustrabit.

- i. Effusione lymphæ.
- ii. Multis adhæSIONIBUS.
- iii. Pupilla contracta vel clausa.
- iv. Caliginè lentis, sive ejus capsulæ, sive capsulæ hyaloideæ, sive corneæ (Leucoma.)
- v. Maculis.
- vi. Staphylomate corneæ aut scleroticæ.
- vii. Conditione vasorum corneæ chronica.
- viii. Variis vitiis scleroticæ.
- ix. Granulis conjunctivæ.
- x. Pustulis.
- xi. Ulceribus.
- xii. Suppuratione.
- xiii. Hypopio.
- xiv. Prolapsu iridis.
- xv. Hydrophthalmia.
- xvi. Amaurosi.

- xvii. Effusione sanguinis.
- xviii. Epiphora aut fistula lachrymali.
- xix. Lippitudine.
- xx. Corneis conicis.
- xxi. Exuviis mortuis evolutis, Anglice “*Sloughs.*”
- xxii. Trichiasi vel Entropio.
- xxiii. Ectropio vel eversione palpebrarum.
- xxiv. Pterygio.
- xxv. Tumoribus variis.
- xxvi. Paralysi palpebræ superioris.
- xxvii. Phrenitide.

Porro suspicandum est sanguinem interdum inter membranas choroideam et scleroticam oculi post inflammationem gravem effundi, ubi Amaurosin inducit. SCARPA *, vir ingeniosissimus, putavit nisi sanguis ita effusus suppurationem producit, amaurosin supervenire.

Dominus WARIUS † duo exempla in lucem edidit inflammationis internæ acerbioris, quæ in effu-

* *Vide* SCARPA, Trattato degli Occhi. Ed. 5^{ta}.

† WARE on Ophthalmy, Psorophthalmy, and Purulent Eye. 5^{ta} ed. 1814.

sionem liquoris subflavæ inter membranam choroideam et scleroticam desinebant ; affirmat se eundem liquorem ope instrumenti striati evacuasse. WARIUS huc adducebatur * inspiciendo conditionem oculi inflammati post mortem, quo observavit effusionem liquoris subflavi inter duas membranas jam enumeratas. Inflammatio oculorum, veluti phlogosis in aliis partibus corporis sita, ex differentibus structuris et proprietatibus vitalibus partium affectarum, mutari potest †. Quinetiam actione specifica causæ evidentis, modificari potest. Inflammatio iridis raro cognita fuit in suppurationem abire, sed fere in lymphæ effusionem ‡.

Si signa ophthalmiæ gravioris diu existere permessa sunt, inflammatio plerumque desinit in unum finem ex multis supradictis ; cornea opacatur, aut exulceratur, et dirumpitur, aut staphylo-
ma consequitur.

* *Vide* Appendix to WARE.

† BROUSSAIS, Histoire des Phlegmasies, tom. i. ed. 2da. pag. 8.

‡ Lehre von den Augenkrankheiten, als Leitfaden zu seinen öffentlichen Vorlesungen entworfen. Von G. JOSEPH BEER, 1813.

DE CAUSIS ABDITIS.

OPHTHALMIÆ nonnullis causis, quæ oculum aut directe aut indirecte irritant, oriri possunt; et in omni ætate, sexu, et corporis habitu, accedere solent.

Inter causas abditas, habitus plethoricus *, vel contaminatus aut imbutus viro specifico, in cutem irrumpente aut exanthema inducente †: porro pubertas jam propinqua.

Labor oculorum intensus, accessio prior ophthalmiæ, alvus astricta, aër impurus, causæ prædisponentes enumerari possint.

Oculus index multorum vitiorum, qui in habitu oriuntur, esse videtur. In corporibus biliosis colorem flavum, in insano furioso splendorem vitreum, et in homine syncope oppresso vel in articulo mortis, torporem flaccidum acquirit; in oculo

* *Vide* DEMOURS, *Traité des Maladies des Yeux*, Paris, 1818, tom. i. pag. 202. et sequent.

† BATEMAN'S *Synopsis*, Note, p. 333.

vox mœroris et sympathiæ universalis observari potest.

Quæcunque injuriæ corpus aggrediuntur oculos indirecte afficiunt, et exinde causæ prædisponentes ophthalmiæ fieri possunt.

DE CAUSIS EVIDENTIBUS.

INTER causas præcipuas ophthalmiæ, has sequentes enumerabo ; nempe, Temperiei vicissitudines, perflatum frigidum, cœlum varium et nocturnum ; miasma paludum ; metastasin veneni morbifici ad oculos ; corpora aliena, sive mechanica, sive chemica.

Mechanica sunt, pulveres, arena, limatura ferri, verrucæ, cilia inversa trichiasin inducentes ; dentes carioli *, insecta varia †, contusiones, ic-

* WENZEL by WARE, pag. 28.

† SCARPA, Trattato sulle Principali Malatie degli Occhi, tom. i. ed. 5^{ta}. fol. 221.—Journal de CORVISART, tom. xxiv. Août, 1812.

tus*, vulnera, puncturæ, incisiones, compressio oculi, collum ligamento strictum.

Chemica sunt, calx, fumi acres, acida varia, ustio.

Venti acerbissimi †, ut Eurus et Aquilo. Alii venti qui flant in Ægypto et Asia, ubi ophthalmiæ endemicæ sunt. Venti etiam Africi, ut Kam-sinus, Harmattanus, Samielus, Sirocco Æstus, et nocentissimus Simoonus ‡.

Quando frigus aut miasma ophthalmiam gignit, vitium dictum fuit Anglice, “*A blast in the eyes,*” et sæpe sporadicum est. His causis ebrietas, motus animi graviores, suppressio sudoris aut fluxus sanguinis ex imi intestini et nasi venis ampliatis, vel menstruorum in fœminis, adjici possunt. Etiam cruditates ventriculi aut intestini, ut vermes, nimium lucis ad oculos, ex sole

* TRAVERS, in Medico-chirurgical Transactions, vol. iv. p. 279.

† Οφθαλμιαί ζηραι, &c. Hipp. Aphor. iii. 12.—14.

‡ DEMOURS, par l'Impression de l'Air, p. 211. tom. ii. Traité des Maladies des Yeux.

§ ARISTOTLE, Problemat. sect. i.

ipso directum aut ex corpore albo reflectum ; microscopii immoderatus usus.

Multa origini ophthalmiæ purulentæ a plerisque propositæ objici possunt. Ophthalmia nominata est Ægyptiaca*, acuta gonorrhœalis†, et purulenta infantorum recens natorum. SAUNDERS hæc habet verba ‡: “ The puriform effusion is “ simply the result of a high degree of inflammation of the conjunctiva, as a mucous membrane, “ and is precisely the same in the infant and the “ adult.”

ASTRUC § observavit contactum solum ophthalmiam gonorrhœalem excitare ; et MARTYNUS ¶, mucum urethralem oculo dextro adhibi-

* MACGREGOR in Transactions for Improvement of Medical and Surgical Knowledge.

† SWEDIAUR sur Blenorhée.

‡ *Vide* SAUNDERS ON Diseases of the Eye, by FARRE, 1811, p. 71.

§ BOYER, *Traité des Maladies Chirurgicales*, tom. v. p. 376. 1818.—*De Morbis Venereis*, 4^{to}. Lutet. Paris. 1736.

¶ Anatomia Urinæ, 12^{mo}, Francof. 1668.

tum inflammationem, quæ non ad sinistrum tendit, inducere.

MACKENZIE * tamen experimenta narravit, quæ ophthalmiam Ægyptiacam non contagiosam esse demonstrent; et neque inflammationem, neque molestiam, virus purulentum oculi vitiati oculo sano alius militis insitum, secutam esse.

DE OPHTHALMIÆ DISTRIBUTIONE GEOGRAPHICA ET PHYSICA.

Ex historia et causis ophthalmiarum, videtur ut malum modo duplici, scilicet, physice et geographice, se diffundat. Horum prior pendet a natura cœli, regionis, soli, tempestatum; alter contra, situ, negotiis, malo corporis habitu, inde orto. Exinde affectus oculorum in regionibus circulo æquinociali propinquis nonnunquam epidemici, ut in Ægypto, Africa, et in pratis

C

* *Vide* Edinburgh Medical and Surgical Journal for 1816.

palustribus Europæ, ac etiam Americæ, esse videntur.

In regionibus Circulo Arctico subnixis, iisque quas Zona Temperata complectitur, ophthalmiæ minus frequentes sunt, quamvis nives coruscando candore oculos offendunt, et inde aliquando malum gignunt. In aëre impuro plus quam salubri frequentiores sunt; hinc in cavernis perflatus egenis, in angiportis, et domibus teterrimis urbium arctorum, hæc mala sæpissime conspiciuntur.

Negotia aliquorum hominum ophthalmias inducunt. Quo fit, ut inter itinerarios, fabros ferrarios, excusores, lapicidas, pistores, inter eos qui frumentum molunt, vel in instrumentis acendis, vel in liquefactis metallis fundendis, aut in vitro fabricando, laborant; etiam inter milites, nautas, et varios viros mechanicos, ophthalmia frequentissima sit. Mares his malis plus quam foeminæ patent.

DE SPECIEBUS.

Celeberrimus CULLENUS putabat signa inflammationis oculorum nunquam esse magna, nisi totus habitus simul cum pyrexia affectus esset. Duo igitur genera constituit; nempe, Ophthalmiam Membranarum et Tarsi, quæ genera in ordine Phlegmasiæ, et in classe Pyrexia, posuit. Et tamen in alia parte ejus libri, de Medicina Practica conscripti, observavit, ophthalmiam omnino localem, parva aut nulla pyrexia comitante, plerumque esse*.

Sola est solutio difficultatis, quæ ex hac manifesta verborum discordia fieri potest, ophthalmiam modo omnino localem esse, modo cum perturbatione habitus generali, comitari posse. CULLENUS † observavit quoque, hæc duo genera

* CULLEN'S First Lines, vol. i. chap. iii. 282.

† CULLEN, vol. i. chap. iii. p. 278. et sequent.

ophthalmiæ eodem tempore adoriri posse, et unum genus alterum sæpe gignere.

BEERIUS* Viennæ, nuper edidit elaboratissimam et splendidissimam classificationem morborum oculi, in qua ophthalmias in tria genera divisit; nempe, Ophthalmiam Tarsi, Orbitalem, et Oculi.

Si genera ex differentibus partibus fiunt, numeri eorum infiniti fuerunt. Hanc rem at tamen simplicio rem fore spero, proposito uno genere Ophthalmiæ solo, hoc in duas sectiones divisio, et in iis sectionibus omnibus speciebus ophthalmiæ comprehensis.

* Lehre von den Augenkrankheiten, als Leitfaden zu seinen öffentlichen Vorlesungen entworfen. Von G. JOSEPH BEER, 1813.

Vide Edinburgh Medical Journal, April 1818.

DE SPECIEBUS GENERIS OPHTHALMIÆ.

GENUS OPHTHALMIA.

Ophthalmia, SAUVAGES, gen. 196. LINNÉ', 43.
 VOGEL, 341. SAGAR, 231. JUNCK, 24. MACB.
 423. CULLEN, 8.

CHARACTER ESSENTIALIS.—Rubor, calor, dolor, ardor, pulsus, et pruritus oculi; depressio et tumor palpebrarum; lucis intolerantia; lachrymatio plerumque permagna; capitis dolor interdum.

Observatio.—Omnes species acutæ hujus generis transeunt ex acuta in chronicam conditionem.

SYNOPSIS SPECIERUM.

* Ophthalmiæ communes vel idiopathicæ, quæ videntur in habitu sano.

Spec. i. Ophthalmia acuta communis

var. α .

levior

β .

acerbior

* * Ophthalmiæ specificæ vel symptomaticæ, quæ oriuntur vel de actione specifica cujusdam morbi aut veneni, aut in habitu malo corporis.

Spec. ii. Ophth. syphilitica

- | | |
|----------------|------------------------|
| iii. | scrophulosa |
| iv. | scorbutica |
| v. | erysipelatosâ |
| vi. | phlegmonosa |
| vii. | morbillosa |
| viii. | variolosa |
| ix. | scarlatinosa |
| x. | rheumatica |
| xi. | catarrhalis |
| xii. | arthritica |
| xiii. | mercurialis |
| xiv. | cancrosa |
| xv. | pustulosa |
| xvi. | ex fungo hæmatode |
| xvii. | purulenta |
| var. <i>α.</i> | gonorrhœalis |
| <i>β.</i> | infantilis |
| <i>γ.</i> | Ægyptiaca vel Asiatica |
| xviii. | herpetica |
| xix. | porriginosa |

Spec. xx.	Ophth.	psoriatica
xxi.		intermittens
xxii.		occasionalis.

DE PROGNOSE.

DE prognosi accurate judicare in ophthalmiis curandis, summi est momenti. Si impetus sit levis, et in suo progressu tardus, si adsint simplices benignæ notæ, et si remedia idonea adhibeantur, bonum exitum expectare licet. At si signa acutissime incipiant, et celeriter progrediantur, præsertim in juventute aut in corpore valido et pleno, multum periculi subest, ne oculi fabrica et actio diruantur.

In ophthalmia purulenta, quantitas mucii purulenti emissa signum haud fallax est, unde vim inflammationis existentis statuamus. In inflammatione iridis insidiosa ex syphilide orta, medicus indoctus errare potest, et oculus ipse perire potest, si causa excitans non intelligitur, et si remedia specifica prompte et tempestive non applicata sunt. Si causæ excitantes bene cognitæ,

et recte evitatae sunt, et si impetus recens sit, si febris modica, et dolores haud magni, et praesertim si cornea pellucida remanet, finis ophthalmiae omnis fere speciei felix expectari potest.

Amaurosis autem, quando finem optimam sperare licebit, interdum supervenit.

DE MEDENDI RATIONE.

IN ophthalmia curanda causas excitantes primo exquirere et amovere medicum oportet, si fieri potest. Modus curandi ergo, aut localis aut generalis est.

Quando limatura ferri, pulvis, arena, aut aliud corpus alienum in oculum inciderint, ea extrahere praecipue opus est. In membrana conjunctiva adest sensus acutissimus, ita ut aliud corpusculum alienum in ea existens, tantam inflammationem et dolorem vi mechanica excitat, quantam haud ulli modi curandi generales amovere possint, nisi corpus ipsum, quod est causa excitans, imprimis subducatur.

Quandocunque causa ergo videri possit, si corpusculum alienum, ope puncti scalpelli, acus ophthalmici, aut cujusvis instrumenti idonei, extrahi debet. Sin pulveres ferri vel arenæ in oculum se insinuaverunt, globus oculi vel superficies conjunctivæ, aqua tepida ope syringis elui debet. Hæc operatio aquam inter palpebras per syringa injiciendi, quum particulæ pulveris in conjunctivam inflatæ sint, semper necessaria est.

Ratio medendi antiphlogistica, varias vias sanguinem mittendi, vesicatoria, setacea, vomitoria, medicamenta sudorifica, purgantia, et mercurialia; fofus tepidos, collyria, et unguenta; etiam usum extracti atropæ belladonnæ; lucis et aliorum stimulorum, ope umbræ viridis aut cubiculi obscurati depulsionem, complectitur.

Sanguinis missio.—Quum inflammatio oculi adhuc acuta est, quum etiam tanta ut timendum est ne oculus diruatur, sanguinis missio, severitate signorum et periculo impendente, regi debet. Sanguinis missio est summum remedium cui confidendum sit, ad cursum omnis speciei ophthalmiæ acutæ prohibendum. HIPPOCRATES inquit,

“ *Ophthalmiam solvit venæsectio* *.” Si impetus ex causa excitante, scilicet, febre exanthematica, oritur, sanguinis missio tamen necessaria esse potest, quo oculus salvus fiat. De necessitate hujus operationis ergo medico judicandum, et secundum tempus et quantitatem in qua opus est. Quando ophthalmia in juventute aut in corpore pleno, ex causa locali oriri videtur, tunc missio sanguinis valde copiosa esse debet.

Sectio arteriæ temporalis in ophthalmia graviore, si ad ejus curationem sanguinis missio necessaria est, inflammationis acutæ symptomata levat plusquam venæsectio. Inter medicinam faciendam sæpissime vidi hunc exitum felicem, et rationem haud unquam ex principiis physiologicis explicare possim.

Nonnulli docti et experientissimi medici dixerunt, nihil interesse ex qua parte generis sanguiferi sanguis mittatur; at experientia me docuit, signa graviora ophthalmiæ, missione sanguinis ex arteria temporalis plusquam ex aliqua vena, levari. Hæc arteria facillime secatur, etiam

* HIPPOCRATES. *Morb. vulg.* lib. ii. vi. 26.

scalpello communi. Integumenta contrahi debent in cursu arteriæ longitudinali, quæ incisione transversa hujusmodi instrumenti aperienda est. Multum desiderandum est ut dimidia pars arteriæ sola primum interseindatur; si enim arteria omnino persecatur, fines ejus per fibras longitudinales retrahuntur, et hæmorrhagia ad quantitatem desiderandam eo intercepta est. Quando chirurgus satis sanguinis extraxit, arteriam perfecte dividere, si non antea divisa, et postea vulnus emplastro adhæsivo obducere, ita ut solito modo sanescat, opus est.

Hirudines admotæ constituunt alium modum sanguinem topice mittendi. Usus earum in ophthalmiis frequentissimus est. In infantibus præcipue, ex quibus sanguinem aliis modis detrahere non possumus. Hirudinibus ea re fere in toto fidendum. In primis stadiis ophthalmiæ purulentæ recens natorum, hirudines, sanguinem detrahendo aut e temporibus aut e palpebris, multum valeant. Numeri earum ad ætatem ægri et severitatem vitii accommodati esse debent. Applicationi hirudinum ad palpebras ægroti objici possit, propter pruritus et sensus molestos qui

ex iis puncturis oriuntur, sed ego haud raro inveni, tepidam ablutionem ex lacte et aqua puncturarum hirudinum hæc mala mitigare. Plerumque ergo hirudines quam proxime ad affectas, aut directe super palpebras aut ad angulum nasi, applicare voluerim. In adolescentibus in quibus impetus Ophthalmiæ acerbus et febris consequens gravis est, hirudinibus nunquam confidendum; usus earum in hac re, missioni sanguinis vel e vena vel ex arteria, secundus est.

Quandocumque Ophthalmia localis est, applicatio hirudinum simplex opacitatem aut alia mala oculi prævenire, sufficere possit, si numerus earum palpebræ affigantur.

Si satis sanguinis ex arteria temporali non detrahi possit, quod aliquando accidit, opus erit hirudines imponere, quia venas vacuefacere et partis affectæ et totius corporis, si impetus Ophthalmiæ acerrimus est, oportebit.

Ex omnibus viis sanguinis mittendi, *venæsectio* communior esse videtur. Vena mediana basilica brachii dextri huic rei plerumque selecta est; sed SCARPA sectionem venæ orbitalis profun-

dæ, vel venæ frontalis, vel venæ transversalis faciei, vel venarum pedis, commendat.

Quando syncopen inducere volumus, orificium venæ maximum esse debet, quippe quia sanguis cito ex tali orificio effluere potest.

Si sanguis ita missus, in suum caloricum demittendo, in superficiem crassamenti flavum colorem acquirit, et præsertim si margo crassamenti ad suum centrum approximat, venæsectio repeti debet; hæc enim indicia pyrexiam et diathesin febrilem demonstrant.

Alia via sanguinem detrahendi est ope cucurbitulæ cruentæ.

In hac operatione cutis, instrumento continenti multos scalpellos parvos, in variis locis incidenda est, et super eas incisuras vitrum aëre orbatum ponendum est.

Cutis in vacuitatem vitri irrumpit, et sanguis ex incisuris copiose effluit. Hæc operatio ex imis vertebrais nuchæ plerumque facta est, et interdum in plethoricis corporibus multum levat. Hæc operatio cum cucurbitula cruenta, arteriotomæ (ut jam descripta esset) et venæsectioni, semper secunda est.

In quocunque modo sanguis detrahitur, medicum ab effectu plusquam quantitate dirigi oportet. In conando progressum Ophthalmiæ impedire, vis hujus observationis plus necessaria est; quippe quia in statu syncopis aut deliquii animi, vasa inflammatoria se contrahere, et eorum tonum recipere, possunt.

Deliquium animi in Ophthalmiis desiderandum est. Si conjunctiva ruberrima sit, vasa in deliquio animi ita se contrahunt, ut hæc membrana iterum alba videatur. Missio sanguinis ergo his modis jam enumeratis facta, post corporis alieni inductionem, est utilissimum remedium, cura omnis speciei Ophthalmiæ acutæ, quod adhiberi potest. Si vasa sanguinea in superficiem conjunctivæ cursum tortuosum habent, vel racemos exhibent, eadem vasa dividere nonnunquam opus fuerit. In chronica Ophthalmia sola, hæc vasa scarificare opus fuerit, in acuta vix unquam.

Quando vasa post inflammationem acutam, ex debilitate earum tunicarum, se satis contrahere non potuerint, ut conditionem pristinam salutis recipere possint, scarificationes summopere valent.

Post scarificationes vasorum inflammatoriorum, aliquid collyrium, ex alumine, zinci sulphate, plumbi acetate, vel argenti nitrato compositum, inter palpebras per syringa, injici debet. Si vasa distenta in Ophthalmia chronica scarificatione primum alleviata sint, et postea ad contractionem stimulata, ope collyrii astringentis, curam expectare licebit.

Quando *chemosis* adest, quod sæpissime in inflammatione gravi accedit, excisio partis conjunctivæ elevatae valde commendata est *. Hæc operatio incurvo forfice fieri potest. Sanguinis missio vasa inflammatione distenta expedit, et apertura, quæ per conjunctivam incisa est, evacuationem humoris eo subjectam permittit. In Ophthalmia purulenta etiam, post stadium acutum, excisio portionis conjunctivæ æque juvabit.

Post excisionem conjunctivæ, oculus fotu tepido decocti papaverum, inter palpebras injecti per syringa, lavari debet, spe secretionem elicendi et irritationem levandi; et post aliquot dies collyria astringentia eodem modo globo oculi adhiben-

* SCARPA, by BRIGGS, 1806, p. 188.

da. Haud raro in primis stadiis Ophthalmiæ acutæ, portionem conjunctivæ remove-re opus fuit. DEMOURS sectionem venæ jugularis in chemosi plerumque jubet*.

In stadio acuto Ophthalmiæ, secundum meam experientiam, vesicatoria ad aliquam partem ægroti applicata, signa exasperant potius quam mitigant. Usus vesicatorii differri debet, donec omnia alia remedia antiphlogistica prope ministrata fuerint, aut certe haud dum Ophthalmia ad stadium chronicum approximavit.

Dum Ophthalmia purulenta in Ægypto epidemica esset, vesicatoria per totum exercitum fere sine fructu admota fuerunt. Species irritationis sympathetica ex loco cutis cui applicata sunt, usque ad tunicam adnatam oculi digreditur, et in ea inflammationem auget.

In chronica conditione Ophthalmiæ, vesicatoria nuchæ affixa nonnunquam prosunt; at si impetus ex habitu cachectico ortus, usus eorum interdici debet.

* DEMOURS, *Traité des Maladies des Yeux*, t. ii. obs. 64, 65, 66, 67,

Quod de usu vesicatoriorum diximus, ad setacea etiam applicari potest.

Si Ophthalmia metastatica sit, ut interdum accidit e variolis, usus setaceorum subinde multum bonum efficiant.

De usu emplastrorum lyttæ et setaceorum, verbis HOFFMANNI valde confidendum est; ille ita inquit* : “Setacea et vesicatoria non facile applicanda in plethoricis, nisi soluta prius plethora, et alvo, præsertim in cacochymicis, subducta.” Aliquando quum vesicatoria et setacea nocere videntur, unguentum ex tartrate antimonii et axungia porcina compositum, ut Pharmacopœia dirigit, nuchæ applicari utiliter potest.

Applicatio hujus unguenti nec erysipelas nec gangrænam, quæ nonnunquam emplastro meloes vesicatorii oriuntur, producit, in partibus quibus imponitur.

Medicamenta purgantia.—HIPPOCRATES †,

* HOFFMAN, Medicinæ Ration. Syst. t. 4^{ta}, part 1^{ma}, sect. 2^{da}.

† Aphorismi, sect. 1^{ma}, A. 1. 25. sect. 2^{da}, 36. sect. 4. A. 2. 3. 4. sect. 6. 31. 47. sect. 7. 29.

GALENUS *, CELSUS †, ÆGINETA ‡, ÆTIUS §, AVICENNA ||, et omnes scriptores fere usque ad ABERNETHIUM ¶ et HAMILTONIUM **, utilitatem hujus generis medicamentorum, præsertim in inflammatione partium superiarum capitis, demonstrabant. Medicamenta purgantia ergo, ab experientia generali, sanguinem deorsum detrahendo, in curandis acutis Ophthalmiis maxime valent.

HIPPOCRATES ita observavit: “ Ophthalmia laboranti bonum, si a diarrhœa corripiatur ††.”

Quod si irritatio in oculo, post missionem sanguinis et usum purgantium medicamentorum, superest, enema ex infuso anthemidis nobilis et solutione opii aquosa compositum, et in intestinum rectum per syringa injectum, ægrum expediet.

* GALENUS, *Materia Sanitatis Venet*, 1609.

† CELSUS, *De re Medica*, lib. ii. ch. xii.

‡ ÆGINETA, (Paulus), *De re Medica*, tom. i.

§ ÆTIUS, *Medicinæ Tetrabiblos*, tom. i.

|| AVICENNA, *Opera Medica*, Fol. Venet. 1564.

¶ ABERNETHY, *on Local Diseases*, &c.

** HAMILTON, *On Purgative Medicines*.

†† Aph. 17. sect. 6.

Quædam medicamenta, scilicet, vomitoria et sudorifica, primas vias exonerando, copiosum sudorem producendo, et actionem cordis et arteriarum diminuendo, nuper in Ophthalmiis acutis, a GULIELMO ADAMS* Equite, et Doctore VETCH†, maxime commendata fuerunt. Hi scriptores inter se controversiam moverunt, de honore hanc curationem excogitandi Ophthalmiæ, et dixerunt, ægrotum Ophthalmia laborantem in nausea perpetua, interdum etiam usque ad vomitum, teneri oportere. Quibus dissentio, quippe quia actio vomendi multum sanguinem ad caput mittit, et ruborem oculi auget.

JOANNES HUNTER‡ observavit, portiones nauseantes alicujus medicamenti actionem cordis

* ADAMS's Official Papers on Ægyptian Ophthalmy, &c. Lond. 1814.

ADAMS's reply to Dr VETCH's Pamphlet, 1818.

† Vide Dr VETCH's account of the Ophthalmy in England, since the return of the British Army from Egypt. Lond. 1807.

Observations on Sir WILLIAM ADAMS's Treatment, &c. 1818.

‡ HUNTER on the Blood, &c.

et arteriarum diminuere, et majores portiones, quando ad vomitum receptæ fuerunt, pulsum accelerare.

In Ophthalmiis, quæ ex sudore suppresso oriuntur, hanc secretionem reddere et augere est primum consilium, et potissimum, functionem cutis observare et regere, medicum oportet; quippe quia consensus intimus inter cutem et oculos, cor, ventriculum, pulmones, et omnia alia viscera, constat.

Mercurialia.—FARRE nuper ophthalmiæ laborantes hydrargyro imbut, in plurimis speciebus hujus vitii, sine ullo alio remedio. SAUNDERS* imprimis utilitatem hujus modi in levando inflammationem iridis syphiliticam, quæ in uno homine omnibus aliis remediis obstitit, demonstrabat; at solertia Doctoris FARRE, defuncto SAUNDERIO, denotavit mercurium etiam inflammationem idiopathicam iridis, haud secus

* *Vide* SAUNDERS on the Eye, edited by FARRE. Lond. 1816. Preface, page 38.—p. 57. and 61.

atque syphiliticam, debellare. Secundum experientiam hujus medici clari, si corpus celeriter hydrargyro inficitur, in iritide sive idiopathica sive syphilitica, effusio lymphæ, quæ hoc remedio prætermisso e vasis inflammatis effunderetur, atque opacitas aut oculi fabricæ ruina, præcaventur.

Doctor FARRE ita inquit: "The certainty with which the mercurial action arrested the deposition of coagulable lymph in syphilitic inflammation of the iris, led the editor to give this remedy a fair trial in simple inflammation of the iris, in which the disorganizing process by the adhesive inflammation is precisely the same, however it may differ from the former in its exciting cause. The result of the trial has perfectly satisfied him, that the mercurial action *alone*, when properly kept up, is sufficient to subdue the ophthalmia iridis in its most acute stage."

Hoc intelligere permagni refert; quo similem inflammationem aliarum partium mitigemus, nam si actio hydrargyri effusioni lymphæ ex iride occurrit, eadem actio certa rei ratione, in-

flammationem aliorum organorum corporis, ac etiam effusionem lymphæ ex iis, prohibebit*.

In cynanche tracheali res est notissima, lympham fibrinam ex vasis laryngis in tracheam effundi, et lympham ibi collectam, ægrotum infantem cito suffocare.

Ex similitudinis comparatione ergo judicandum est, si actio hydrargyri dejectionem lymphæ ex vasis unius loci prævertit, hoc remedium idem quoque alibi facere posse. Quandocunque igitur inflammatio se ostendit, aut in iride aut in trachea, ratio medendi fere eadem esse debet, quippe quia in utraque effusio lymphæ timenda est: illic opacitatem vel cæcitatem, hic suffocationem et mortem, timemus.

Hanc effusionem in utroque morbo, hydrargyrus celeriter corpori immissus præcavebit, præ-

* TRAVERS, in Surgical Essays, Part i. 3d Ed. p. 70. to 108.

RICHTER'S Anfangsgründe der Wundarzneykunst, Band 3. § 73.

ROSE in Medico-Chirurgical Transactions, Vol. iii. Part 2d.

sertim si ab aliis modis, scilicet, missione sanguinis et hirudinibus, adjuvetur.

Usus hydrargyri cum externus tum internus esse debet; habitus cito saturandum, aut unguentum aut pilulæ, aut utrumque, dari possunt. In aliquibus ophthalmiæ speciebus, usus hydrargyri nocet.

In inflammatione arthritica præcipue inutilis est. Experientia mea, opinionibus BEERII et BENEDICTI in hac re accedit; nam bis vidi hydrargyrum sine ullo commodo in ophthalmia arthritica latum. BENEDICTUS ita inquit: “Mercurialia in arthritide summopere nocent*.”

Copiæ exiguæ pilularum hydrargyri, secundum principia Domini ABERNETHY, semper bonum exitum producunt †.

Honore Doctori FARRE debito, haud denegato, observare licebit, BEERIUM Professore Viennæ ejus bonos exitus sexdecim annis antea elucidasse. Ita inquit ‡: “Valentissimi ut fric-

* De morbis Oculi Inflammatoriis.

† ABERNETHY on Diseases of the Digestive Organs, &c.

‡ Auswahl am dem Tagebuche eines praktischen Augenartztes, von G. JOSEPH BEER, 4^{to} Wien. 1800. p. 36.

tiones mercuriales in ophthalmia syphilitica sunt, eos æquo in multis aliis vitiis oculi pertinacibus, quæ in ordine enumerabo.” BENEDICTUS* etiam, qui fidelem historiam prælectionum BEERII publicavit, hæc verba habet; “ Quod peragitur impositione sacculorum aliqua ex parte aromaticorum, peragitur etiam mercurii usu, cum interno tum externo.”

Præter remedia jam enumerata, remedia quædam parti imposita multum quoque juvare possunt. Fomenta, cataplasma, collyria, et unguenta, sunt præcipuæ applicationes externæ. Fomenta tepida in acutissimo stadio Ophthalmiæ applicantur, et sæpe cum multo commodo. Fomenta mulcent et consopiant, præcipue propter virtutes anodynas materiarum quæ in solutione retentæ sunt.

Hæc componuntur præcipue ex decoctis capsularum papaveris albi, florum anthemidis nobilis, conii maculati, althææ officinalis, &c.

* BENEDICTUS de Morbis Oculi Humani Inflammatorii, Lib. xxiii. pp. 116. & 287. Lipsiæ 1811.

Quando desiderandum est fotum tepidum oculo applicare, cataplasmata ex pane composita, et in aqua malvæ aut lacte recente decocta, applicationem blandam formant.

Pulpa etiam pomorum coctorum et bulbi solani tuberosi interdum utilis est.

Collyria.—De compositione collyriorum jam ex parte dixi. Collyria valde utilia sunt secretionem mucii aut puris cohibenda. Si impetus Ophthalmiæ mitis sit, usus collyriorum vitium sæpe removet, sine ullo alio remedio. In Ophthalmia arthritica tamen usus collyrii ex auctoritate bona interdici debet. BENEDICTUS ait *, “ Ophthalmia arthritica adfectus nunquam fert
 “ liquida remedia.” Hæc observatio æque fomentis tepidis applicari potest. Idem auctor adjicit, “ Sub ipsorum usu semper accrescit malum, et
 “ multo celeriori decursu sua stadia persolvit.
 “ Solo, igitur, calore sicco aromatico medicus tali
 “ in casu utatur.” Chirurghi Ophthalmici in Germania, pro collyriis herbas aromaticas et cam-

* BENEDICTUS, p. 595. et sequent.

phoram, in sacculis linteis retentas, et oculis applicatas, substituunt. Iterum inquit BENEDICTUS, “Herbæ in sacculos ex linteo molli paratos, “ita comparantur ut quartam faciei ægrotantis “obtegant partem, immittuntur.” Alia ratio medendi Ophthalmiæ topica est ope unguentorum*.

Si inflammatio sit interna oculo, adhibita unguenta parum juvant. Vitia palpebrarum, conjunctivæ, corneæ, &c., applicationibus externis præsertim unguentis, curari plerumque possunt. Unguenta ophthalmica perraro imponuntur, haud nisi vitium in conditionem chronicam transierit. In acuto stadio tamen Ophthalmiæ, unguentum ex cera et oleo olivæ compositum, ad palpebras nocte applicandum est, spe præveniendi adhæSIONEM palpebrarum ex secretionibus conjunctivæ. Unguenta instar collyriorum, ex variis materiis plerumque composita sunt, scilicet, ex alumine, zinco, oxido rubro et albo mercurii, ærugine æris, tutia, ex sulphate cupri, &c., adipe, aut quo-

* Vide ASSALINI, by NEALE, on the use of Topical Applications in the Ophthalmy of Egypt, p. 150.

vis unguento simplici mistis. Vice unguentorum, albumen recens muco cydoniorum mistum, et alumine inspissatum, nonnunquam feliciter applicatur*.

Puncto obtuso instrumenti argentei, Anglice "*Probe*," aliquid hujus misturæ inter palpebras in Ophthalmia purulenta, bene et cum exitu optimo, interponi potest.

Quoniam extractum atropæ belladonnæ pupillam dilatat, superciliis aut palpebris impositum, hinc sæpe adhibetur in iritide, ad præveniendam effusionem lymphæ, quæ alias pupillam clauderet.

Quando effusio lymphæ, in inflammatione acuta iridis aut retinæ, instat, applicatio extracti diluti atropæ belladonnæ supercilio valde necessaria est, eodem tempore quo remedia antiphlogistica ministrantur †. Si etiam jamjam margo interior iridis et capsulæ lentis cohæserint, belladonna eas recentes adhæsiones solvere, et pupillam dilatare, possit ‡.

* SCARPA, Trattato degli Occhi, 5^{ta} ed.

† Vide GIBSON on Artificial Pupil, p. 124. et sequent.

‡ SAUNDERS, by FARRE.

Sin extractum belladonnæ non procurari potest, extractum hyosciami nigri iridem fere æquo dilatare poterit. Hæc narcotica sympatheticos associatosque motus iridis pro tempore suspendunt, et ejus fibras radiatas se contrahere præparant. Actio autem horum narcoticorum ex oleo cajeputi destructa est, et pupilla ab eo contrahitur, etiam post dilatationem belladonnæ inductam, secundum professorem HIMLIUM Göttinganum * †.

Oculus fabrica tam subtili præditus est, ut inflammatus lucem tolerare nequeat, præcipue retina, iris, aut cornea.

Lux solis ergo, quæ oculo sano est gratissima et jucundissima, omnes ejus inflammati functiones irritat atque turbat.

Excludere radios vividissimos solis valde necessarium est, ad curationem multorum vitiorum oculi. Si igitur lux oculum irritat, ægrotus

* Ophthalmologisch Beobachtungen und Untersuchungen, st. i. Bremen 1801.

† *Vide* etiam Thesin excellentissimam de IRITIDE, Auctore JOANNE GILLIES, 1817.

in tenebris teneri debet. Quum autem ægrotus in tenebris diu remansit, oculum ejus gradatim luci objicere licebit. Imprimis in suo egressu, usus umbræ viridis vel conspiciellorum ejusdem coloris ægro commodissimus invenietur.

Modis jam dictis exercitatio in aëre salubri, victus opimus et facilis concoctu, munditia, balneum ex aqua marina, et ratio vitæ mutata, ad curam specierum multarum Ophthalmiæ multum operæ conferunt. Species syphilitica *, arthritica, rheumatica, scrophulosa et plurimæ aliæ, ex principiis ad curationem eorum vitium commendatis, tractari debent.

Quando iritis supervenit dum systema jam hydrargyro imbuitur, hoc medicamentum omitti debet, et usus sarsaparillæ, cinchonæ, guaiaci, acidi nitrici, &c. substitui debet.

Ophthalmia intermittens perraro ope cinchonæ aut arsenici, instar febris hujus typi, curari po-

* *Vide* Thesin Inauguralem C. F. JÆGERII, uber den Unterschied der arthritischen und Syphilitischen Ophthalmie, Landshut, 1807,—8.

test†; at nonnunquam partibus mercurii submuriatis aut oxymuriatis alternis.

Inflammatiō e fungo hæmatode ‡ oriens, in exitium globi oculi, aut in mortem ægroti, plerumque terminat. Medicamenta hanc speciem perraro levant.

In granulis conjunctivæ vel in conditione corneæ vasculari, liquor plumbi acetatis purus in oculos cum bono exitu plerumque instillatur. Vapores etiam ætheris nitrosi, ammoniæ volatilis, oleorum volatilium, veluti citri medicæ, myristicæ moschatae, aut caryophyllorum, ope vitri ad oculos applicati, optime valent.

—◆—

Antequam has paginas ad finem perduco, meas grates Doctori FARRE et Domino LAWRENCE, Rectoribus Instituti Londinensis ad Morbos Oculi curandos, propter multa beneficia; etiam GULIELMO ADAMS, Equiti, Nosocomio Ophthalmico Militari; necnon Doctori MONRO, Professori

† SCARPA, sulla Malattie degli Occhi.

‡ WARDROP, on Fungus Hæmatodes.

Anatomiae et Chirurgiae in Academia Edinensi, pro multa amicitia, et Domino WISHART, chirurgo in eadem urbe ; ac etiam gratissime, meo amico Domino BARNES, chirurgo ad Valetudinariam Ophthalmicam in urbe “ Exonia,” pro amicitiae ejus aestimatæ sinceritate et integritate, nunc profero.

FINIS.

